



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

2 Indulgentia, quid sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- 1 crevi † Potestas enim illas conferendi à Christo Ecclesiae in Petro concessa extitit, quae huiusmodi potestate divinitus ei tradita, antiquissimis etiam temporibus in usu fuit, *Matth. c. 16. Ioan. c. 20. cap. audivimus, cap. quodcumque, 24 q. 1. & cap. ut constitueretur, 50. dist.* ideo sacr. Conc. Trid. indulgentiarum usum Christiano populo maximè salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse, docet & praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant, ut in *decr. de indulg. in princ. sess. 25.*
- 2 In primis autem videndum est, † quid sit Indulgentia? quae omnis aliis definitionibus, à diversis scriptoribus ecclesiasticis traditis, est remissio poenae temporariae in foro poenitentiali Deo debita, extra sacramentum facta, per applicationem eorum satisfactionum, quae in communi Ecclesiae thesauro continentur, *Navarr. in commentar. de indulg. & Iubil. not. 20, num. 1. & seqq. in princ. sess. 25.* ubi rationes definitionis assignat, & ad contraria respondet, *tom. 3. Cordub. de indulgent. q. 3. & Card. Bellarm. in 6 contra gen. tom. 1, lib. 2, cap. 16. §. ad haec*
- 3 *juvantur.* Quae quidem est plena, † & non plena, plena est, quae sub nomine plenariae datur, vel sub his, aut similibus verbis ei, qui fecerit, hoc aut illud, remissio omnium peccatorum conceditur: non plena, quae limitata solummodo datur, vel ratione peccatorum, vel ratione poenae debita: primum respicit totam poenam temporalem peccatis debitam, posterior non totam, sed illius solummodo partem, *Navarr. eodem comment. not. 9, num. 1, 2, & 3.*
- 4 Indulgentiae enim forma † quantum ad
- eam, quae significat remissionem poenae in foro poenitentiali, de qua verba facere debet, aliis omis, de quibus per eundem *Navar. eod. com. not. 20, num. 2.* est quadruplex. Aliquando enim dantur indulgentiae respiciendo ad certum tempus secundum numerum dierum, aut annorum: quandoque respiciendo ad certam partem peccatorum, ut cum datur remissio mediae vel tertiae partis; Interdum respiciendo totum id, quod pro peccato debetur, ut cum datur indulgentia plenaria, vel remissio omnium peccatorum, *Turrecrem. in cap. qui aliquando, de poenit. d. 1. §. item in Levitico, q. 2. art. 1.* † Quandoque etiam conceditur de culpa, & poenae; quod non est proprie intelligendum, cum solus Deus auctoritative culpas remittat, juxta illud *Isaia: Ego solus deleo iniquitates tuas per memetipsum:* sed ideo sic dicitur, quia ibi remittitur culpa à Deo per contritionem, quae praerogatur, & poena à Papa per indulgentiam, quae subsequitur, *Sylvestr. in verbo indulg. q. 9, n. 23. & Graff. c. 15. secundum impressionem Taurinen. n. 53, 55, 59, & 64 par. 1, lib. 4.* ubi de his quatuor modis indulgentias concedendi copiose tractat.
- 6 In peccato, † ad quod delendum indulgentiae conceduntur, duo sunt; culpa, quae offenditur Deus, & poena, quae debetur pro culpa: remittitur autem culpa in contritione, quae est cum proposito confitendi, & satisfaciendi, ut in *psalm. 31. Confitebor adversum me iniquitatem meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei,* sed quamvis Deus remittat culpam per contritionem, † tamen requiritur confessio, ut ipse confessarius absolvat poenitentem sacramentaliter à peccatis, cuius abso-